

Catala



Iesus, Maria, Ioseph: Cum Beato Benedicto

P R O

NOBILIBVS CONIUGIBVS D E R A I A D E L L .

CONTRA.

NOBILEM MICHAELEM ET HIERONYMAM
Salba.

Relator nobilis Michael Cortiada. Not. Congost.



CONCORDANT partes super exceptionibus litis pendentis, & ne continentiae causa diuidatur nob. Michaellem de Salba & Hieronymam eius vxorem introduxif se die 26. Aprilis 1655. causam in Curia Regentis Vicariam Barcinonæ; in & cum qua in vim fideicommissi asserti testamē

ti Don Ludouici de Rajadell, & alijs causis & rationibus in discursu causæ deducendis prætendit sibi adiudicandam esse Baroniam de Iorba & alia bona dicti Ludouici quæ causa fuit euocata ad Regiam Audientiam, & ibi litteræ citatorie reproductæ. Ex post supplicatione oblata die 21. Augusti dicti nobiles coniuges Salbans se oposuerunt causæ quæ turbationum tempore vertebatur inter dictos nobiles coniuges de

Rajadell, & domne Anna Olmera, cui opositioni contradixit hæc pars scedula oblata 26. Augusti oponendo loco exceptionum dilatoriarum exceptione litis pendentiæ, & quod denuntiato processu non admititur noua persona; in simulque scedula obl. 2. Octob. oposuit ad vberiore cautelam exceptionem ne continentia causa diuidatur. Dubitatur an dictis exceptionibus locus sit, & singulas discurrendo locum esse aperte demonstratur.

Ad primam certum est ex vna eademque causa non deberi adiri plures iudices, sed ea integre cum suis annexis ab vno iudice cognoscenda est & quidem vbi iudicium captum fuerit, *l. vbi captum, ff. de iudic.* ne alias continentie causa diuidatur contra, *l. nulli C. de iudic.* quæ continentia causa nedum habet locum quando est idemtas personarum, actionum, & rei, sed etiam (quod maxime nostro casui conueuit) vbi est idemtas personarum, & rei sed non actionis vt tradunt bene Parlador *quotidia. lib. 2. cap. 9.* Matheus de Afflictis *dec. 354. num. 13. vers. Secundo vbi* Jacob Canc. *var. par. 3. c. 1. n. 52.* circa medium, Carleual. *de iudic. lib. 1. tit. 2. disp. 2. n. 3.* aliqua Salgado *in labyrintho cred. p. 1. ca. 3. §. 1. num. 43.* vnde cum in presentis casu detur idemtas rei, personarum, imo & actionis, licet tituli appareant distincti dicendum est exceptionem ne continentia causa diuidatur, & litis pendentiæ locum habere.

Sed statim occurrit obiectio quod aliud est exceptio litis pendentiæ aliud ne continentia causa diuidatur, & quod licet exceptio litis pendentiæ fuerit opposita intra octo, non tamen ne continentia causa diuidatur & sic quod de ista vltima non potest haberi ratio tanquam non opposita intra tempus, nec de prima litis pendentiæ cum non probetur doctrinas allegatas in exceptione litis pendentiæ procedere, sed in exceptione ne continentia causa diuidatur.

Vt autem omnis cesset scrupulus asseueramus exceptionem ne continentia causa diuidatur oppositam fuisse expresse scedula oblata 2. Octob. nec quidquam interest quod non fuerit

rit opposita intra tempus dilatoriarum; hoc enim singulare,
 & speciale in illa est vt in vim dilatoria, opponi possit in qua
 libet parte iudicij, vt debeat iudex coram quo proponitur
 superfedere & vnio seu accumulatio actorum locum habeat
 adeo vt iudicium post illius opositionem factum nullum sit,
 vt de verisori sententia testantur Afflictis *decis. 354. n. 8. & 9.*
 Franciscus de Ponte *conf. 70. nu. 13. Canc. 3. p. c. 1. n. 52.* qui ita in
 Regia Audientia practicari, docet, omnino videndus Carle-
 ual. *de iudic. d. li. 1. tit. 2. disp. 2. nu. 10. & 12.* qui de comuni vsu
 & praxi in Hispania testatur, & annectit rationem elegantem
num. 10. quia diuisioni iudicij lex resistit & imponit poenam
 iuxta, *l. nulli C. de iudi. ibi, nulli prorsus Audientia prabeatur qui cau-
 sa continentiam diuidet & ex beneficij prerogatiua id quod vno
 eodemque iudicio poterat terminari apud diuersos iudices voluerit
 ventitare pena ex officio iudicis, &c.* Ac per consequens quid-
 quid contra fit nullum est, in ceteris vero exceptionibus id
 non procedit quia eorum opositioni post litem contestatam
 & earum effectui lex non resistit, sed dumtaxat non assistit, vt
 ibi videre licet, sequitur Afflictis *vbi sup. n. 8.* & amplius Car-
 leual. *nu. 12.* eleganter ait *quoties petitur accumulatio actorum seu
 vnio processuum ex quauis causa seu primæ exceptionis litis penden-
 tia, seu ne continentia causa diuidatur posthabitis istis iuris solemni-
 tatibus in quauis parte litis cumulationem fieri vt tota causa coram
 eodem iudice tractetur sub vno eodemque processu, quia ratio aque
 militat siue proponantur prædictæ exceptiones ante siue post litē con-
 statam, & fundari potest hæc ratio ex his quæ multis citatis
 docet Salgado de *supplicari. ad sanctissimum 1. parte cap. 10. n. 115
 cum seq.* quod licet lite contestata præcludatur via exceptioni-
 bus dilatorijs, tamen quando exceptio dilatoria talis est natu-
 ræ quæ reddit processum retronullum recte admittitur, & o-
 poni potest etiam post litem contestatam, pluribus citatis se-
 quitur noster Ripoll ad praxim Peguer. *rub. 9. nu. 40. & 45.**

Maxime quia si noster casus attente perscrutetur iam hæc
 exceptio ne continentia causæ diuidatur cencetur oposita &

imbibita in exceptione litis pendentiae quam intra legitimū
tempus oppositam esse non negatur, absque eo quod obstat
exceptionem litis pendentiae rei iudicatae exceptioni similari
& eisdem regulis procedere, adeo ut ei obstat litis pendentiae
exceptio cui rei iudicatae obstat, *ut ex l. si mater ff. de excep.
rei iudic. probat Canc. 2. par. ca. 8. nu. 59. Carol de Grassis de ex-
cep. in pralud. nu. 61. & 62. Galleratus de renuntia. cap. 145. nu. 3.*
cum alijs ex quibus dicendum videbatur quod solum litis pen-
dentia habeat locū ubi res eadē personae eadem & causa eadē
dem ut in rei iudicatae exceptione notum est ac per conse-
quens non posse imbibere, & in se complecti ne continentiae
causa diuidatur exceptionem.

Observandum tamen est multum interesse an exceptio ne
continentiae causa diuidatur, oriatur ex ipsa lite ratione cuius
opposita exceptio litis pendentiae, an vero ex alia lite, ut scili-
cet si exceptio ne continentiae causa diuidatur oriatur ex sola
diuisione iudicij & ex lite in qua non recadit litis pendentia
tunc vna alteram non includat, si vero ex ipsa litis pendentiae
exceptione oriatur & illa alia ne litis continentiae diuidatur,
opposita illa & ista quoque opposita credi debet, nam opponen-
ti sufficit proponere factum taliter quod resultet exceptio li-
cet exceptio specificē non opponatur, perinde enim si resul-
tat ex facto habetur, ac si specificē fuisset opposita ut Magistra
liter docuit Bart. in l. 1. ff. de except. qui asserit quod postquam
factum proponitur notum est iudici & potest ex officio ab-
soluere, per quae ita in terminis declarauit Senatus apud Af-
flictis decis. 354. nu. 10. quod qui opposuit exceptionem prae-
uentionis & litis pendentiae censi opposuisse exceptionē ne con-
tinentiae causa diuidatur uti ex eodem facto resultantem, se-
quitur Riccius collect. 368. circa finem faciunt quae congerit,
Monachus decis. Bononi. 40. punc. 9. à numer. 1. ad sex. docens
exceptionem insurgentem ex instrumento licet non opponatur
si clare constat de illa ex scriptura designata perinde esse
ac si opposita fuisset & Iudex ex officio ipsius rationem habe-
re so-

re solet & debet facit: Alia ratio quia praeuētio operatur vt ad illum iudicem qui preuenit sit remittenda causa cum tota sua continentia & omnibus connexitatibus ne alias sequatur diuilio continentiae causae, Carleual. *de iudic. par. 1. li. 1. disp. 2. q. 7. sect. 3. num. 894.*

Annectitur etiam ad institutum *const. 1. sic. de donar. libello* qua cauetur quod licet actio inepte fuerit proposita nil nocet sed sufficit quod factum narretur ex quo de actoris intentione constet, quam constitutionem & in reo quo ad eius exceptionē procedere docet Cancer. *3. p. c. 1. n. 168. §. 169.* ex vulgata ratione quod in actore statuitur & in reo statutum esse intelligendū est *c. 2. & ibi not. de iur. peti.*

Nec omitimus exceptionem litis pendētiaē fuisse opposita cum salutarī clausula *omni meliori modo*, per quā vtilius remedium dicitur deductum & quidem magis fauorabile & deducta omnis actio necessaria & proficua actori, adeo vt sepe causa necessaria & remedium necessarium censeatur intentatum ex hijs quae late docet Barbosa *claus. 52. a. n. 5.* & sic exceptio quoque ne continentia causa diuidatur, haec enim exceptio locum habet siue expresse, siue tacite primae actionis intentate discussione, tacite vel expresse noua actio intentata comprehendatur, vt notat don Ioan. Baptista Larrea *decis. Granaten. 4. num. 7.*

Eadem ratione ducimur vt affirmemus quod & adhuc verisimur in exceptione litis pendētiaē, & quod sententia in altera causa preiudicaret alteri, si aduertimus libellum prioris causae fuisse reproductum cum clausula *omni meliori modo* scedula oblata 7. Iunij 1655. imò & quod magis attendendū ita loquitur petitio primae causae: *En virtut del testamēt de Lluis de Raiadell, y per altres causas, y rahons que en lo discurs de la causa, &c.* qua narratiua omnes titulos sibi competentes cumlasse non est dubium, & ideo titulum quoque, quo vtitur in noua opositione ea enim est virtus clausulae, *y per altres causas y rahons*, prout in simili tractat, Afflictis *d. decis. 354. a. num. 10.*

|||

cum Jeqq. & est adeo certum quod cum illa verba, *altes causas,*
y rabons, ponantur copulatiue nedū tituli similes allegato vi-
deantur deducti sed etiam tituli & causæ dissimiles, dictio e-
nim *altes* dissimilia quoque complectitur quando adiicitur
verbis vniuersalibus, vel adest copula vt pluribus Barbofa *dic.*
17. nu. 3. & seq. Ex quibus exceptioni litis pendentie, & ne cō-
tinentiæ causā diuidatur locum esse plene constat.

Quo ad aliam exceptionem negari non potest processum
esse denuntiatum, & opositionem esse factam denuntiato pro-
cessu, (imo & quod plus est post sententiam, illa enim facta
turbationum tempore partibus non conuarentibus ex Re-
gio decreto in vim laudi sustinetur,) vnde oppositio admitti
non debet ex vulgata regula qua tertius non admititur denū-
tiato processu. ex late traditis per Canc. 2. par. cap. 16. nu. 21. &
Michael Ferrer. 3. par. cap. 512. etiamsi pars nullas vellet facere
probationes in causa, sed ius suum ex probatis per litigantes
iustificatum prætenderet vt in addit ad Canc. d. lib. 2. nu. 29. de
an. 1605. (quæ est modernior decisio ex allegatis) videre &
notare licet Senatū nouissimè declarasse. Ex quibus exceptio-
nibus propositis locum esse declarari speratur. Saluo, &c.

Mas & Vidal. V. l. D.

Pastor LL. D.